



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Ivre Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De rebus Ecclesiae non alienandis. Consilium CCXCIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98691](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98691)

loci erogationem, d. Clem. quia contingit De religiof. domib. d. Sess. 23. cap. 18. de reformat. ut nec relicta pauperibus certi loci, alijs pauperibus quantumvis egenis distribui debent, Bald. & alij in l. id quod pauperibus c. De Episc. & cler. quia res quæque debet regulariter retineri in suo statu primordiali.

Deinde hoc quoque in proposito attendendum est, quod Hospitalarijs Ordinis Teutonicorum ex statutis, & regula sui Ordinis Teutonicorum proprium sit eleemosynarum distributione facere indiscriminatim in quoscumque & cuiuscumque loci, seu generis homines; quos dicti Magistri in effectu conantur constringere & concludere ad solos suæ civitatis pauperes domesticos, & ad unius tantum parochiæ subditos, subtrahentes eas in totum pauperibus ostiatim mendicantibus, peregrinis & aliorum locorum advenis; quod certum est fieri non posse in futurum, nisi cum magna confusione & periculo infamæ seu notæ, quam paulatim dicti Hospitalarij incurrunt, nullas aut exiguas eleemosynas deinceps dando in seu ex domo illas ibi petentibus. Conantur, inquam, sic cogere præcisè ad certum numerum seu mensuram, ut etiam in egestate constitutâ dictâ domo (quod per casus, & temporum injuriam contingere potest) videantur eundem numerum fectellorum ab eadem singulis annis velle exigere. Quæ omnia intentionis dictorum Magistrorum irrationabilitatem evidenter detegunt, & demonstrant iustitiam petitionis dicti Commendatoris, petentis, resolutio provisionali decreto Amplissimi Concilij, sibi permitti suarum eleemosynarum distributionem secundum statuta & observantiam sui Ordinis, ex clara & aperta juris dispositione, d. §. præmissa verò, quæ hic dissimulari non potest: ut merito existimemus Amplissimorum Dominorum officium esse, ut secundum primam conclusionem dicti D. Commendatoris sententiam ferant. Atque ita iudicatum in Supremo Concilio Mechlinienfi 19. Octobr. 1602.

De rebus Ecclesiæ non alienandis.

S Y M M A R I U M.

Eleemosynarum obligatio.

1. Hospitala militaria generali reformationi Hospitalium non subiaccnt.
2. Hospitalibus militarijs nihil detrahendum. Eorum privilegia confirmata à Concilio Tridentino.
3. Onere duplici nemo gravandus.
4. Unionis causa cessante resolvitur unio.
5. Dispositio qualibet sic demum locum obtinet, si res in eodem statu maneat.
6. Alienandi potestas generali mandato non continetur. Vacante Prælatu nihil de statu illius immutari debet.
7. Precarium perpetuitatem non habet.
8. Sententia provisionalis veritati non præiudicat.
9. Prescriptio interruptitur per inchoationem litis.
10. Instantia non perimitur in auditorio Principis.
11. Eleemosynarum an sit obligatio. Annua præstatio in piam causam facta an inducat obligationem in futurum.
12. Hospitalia militaria appellatione quando generali Hospitalium contineantur.
13. Princeps de rebus ecclesiasticis statuere non potest.

14. Statutum vel constitutio contra regulam Ordinis non valet.

CONSILIVM CCXCIII.

QUAE abhinc plus minus septemdecim annis pro Generoso Domino Commendatore Domus de Pitzenborch Ordinis militaris Teutonicorum, adversus intentionem Magistrorum mensæ pauperum Civitatis Mechliniensis in imperfecto adhuc causæ statu pro obtinenda relaxatione provisionalis sententiæ per Amplissimum Concilium in anno 1539, vice sima septima Septembris latè scriptimus, supra cons. 293. nunc peracta & conclusa lite, diligenter & exactè visis discussisque totius litis actis, deprehendimus sic collocata esse, ut in definienda decidendaque eadem lite, illorum ratio adhuc merito haberi debeat, ad convincendum, à iure & ratione alienum admodum esse dictorum Magistrorum, Magistratûque eis adiuncti intentionem, quâ intendunt & contendunt sententiâ istam provisionalem convertendam esse in definitivam & perpetuam, & condemnandû dictum Dominum Commendatorem ad perpetuis futuris temporibus continuandâ præstatione & solutionem duorum fectellorû filiginis per singulas hebdomadas, per dictos Magistros convertendorum in distributionem pauperum domesticorum: * præsertim quia dictus D. Commendator adversus eam Magistrorum intentionem, expressam habeat pro sua defensione stantem juris communis decisionem, elem. Quia contingit §. promissa verò De relig. domib. quæ non permittit Hospitalia, seu religiosa loca militarium Ordinum subijci dispositionibus, quæ reformationi, aut directioni aliorum sive secularium sive Ecclesiasticorum hospitalium præscriptæ sunt, re. norm. in rub. De regularib. Rebuff. cons. 141. Nobili verò item constitutiones Ita ut in tam aperta juris definitione nulla amplius esse possit quæstio, nulla dubitatio, l. Ancilla & ibi Gloss. in verb. quæstio de furtis: * nunc potissimum, post dictorum militarium Ordinum pluribus locis confirmata & obfirmata etiam specialiter in hoc controverso juris articulo privilegia per decreta sacri æconomici Concilij Tridentini, Sess. 7. cap. 11. Sess. 25. cap. 8. Inter quæ unum illustre, & ad rem propositam accommodatissimum est, Sess. 23. c. 18. de reformat. quod ne quidem subsidio Seminarij pauperum studiosorum (quod tamen ex duplici causa, paupertatis scilicet & studiorum longè favorabilius est, Tirac. in tract. de pia causa in præfat. verò item relictum causa studij, aliquid detrahi debeat sacerdoti militijs Hierosolymitanis, in quarum numero est dictus Dominus Commendator, ejusque Commendatoria domus, cuius rei causas & rationes in dicta priorè nostra resolutione (quam deprehendimus pro instructione causæ in actis esse exhibitam) latius deductas, operosius hic non repetimus.

Sed hoc tantum prius deductis addimus, quod tempore dictæ provisionalis sententiæ causam proculdubio præstitit, prorsus cessare, & ex cessante illius causa effectum quoque perinde cessare debere; provisioni scilicet causam dedisse immortalis memoriæ Caroli Quinti Imp. novam in Belgio anno 1531. promulgatam constitutionem, ad coercendam & in ordinem redigendam mendicitatē, quod

quod dictorum Magistrorum conclusio, item supplices aliquot pro eorum parte in hac causa exhibiti libelli, apertissime significant, quae siquidem constitutio eo tendebat, ut per accumulationem bonorum, ac reddituum, quae diversis Hospitalibus ad sustentationem pauperum propria, & specialiter seu principaliter destinata erant, commodior esset occasio per subtractionem vulgarium elemosynarum, quas ostiatim emendicare solebant, validos mendicantes in ordinem & ad officium redigendique ex altera parte miserabilibus, & commiseratione dignis mendicare prohibitis succurreretur. Idque non tantum praescripto modo, quo haec accumulatio fieri posset, sed hoc quoque in primis statuto, ut mendicandi publice aut ostiatim nulli quantumvis miserabili, ex ceptis paucissimis, esset potestas; poenis etiam constitutis adversus contrariantes, ut habet dictae ordinationis seu constitutionis decim is articulus. Iam vero ipsa rei evidentia competissimum est, prohibitionem hanc de non mendicando ostiatim palam vel secreta, in usu & observatione minimè retentam, sed ab ea penitus esse recessum; eaque non obstante mendicandi à tempore inchoatae huius legis liberrimam esse potestatem; ideoque nullam esse causam, cur pro miserabilibus & pauperibus ab ostio domus dictae Commendatoriae avertendis tanta summa frumenti annua illi detrahatur, & alteri mensae pauperum adijciatur. Permissa quippe mendicandi potestate non potest dicta domus ab ostiariis, & septimanariis elemosynis esse libera; saltem non sine suggillatione, & lesa existimatione Commendatoris ejusdem Ordinis, si pauperes mendicantes inde quoque elemosynam nullam referant, cujus commoditas esse non potest post detractam tantam frumenti quantitatem. Nam ut ultra illius collationem majores elemosynas faciat, neque ratio postulat, neque conditio bonorum seu reddituum dictae domus patitur. * Duplici enim onere nemo gravari debet in seu ob eandem causam, l. 1. C. Quemad. civil. mun. indic. l. Neminem C. de suscepti. propol. & atcaris lib. 10. & pro modo facultatum huiusce generis onera exigenda, imponenda, & ferenda sunt; non ultra illarum modum, c. Sopra in fine c. Quanto de censib. Clem. 1. sub fin. de magis. & quod quisque respectu alicujus commodi prestare tenetur, ab eo sublevari debet, saltem pro ea parte, quae ei detrahitur, l. Plantius de condit. & demonstr. l. Forma § illa de censib. Marian. Socin. nepos cons. 51. in causa & lite n. 7 vol. 3.

Cum ergo ad usum revocata, seu per conniventiam permissa mendicandi facultate, Magistri pauperum ita amplius non onerentur, & onus, quo ex hac contributione domus haec religiosa ab initio in exacta observatione istius novae ordinationis sublevaratur, iterum in neglecta, seu remissa observatione ad illam redierit, aequum bonum in posterum cessare illam septimanalem duorum fertellorum filiginis contributionem. * Ita enim servatur in omnibus etiam praecisus & absolutis bonorum Ecclesiasticorum unionibus & incorporationibus, ut cessante finali causa unionis, resolvatur unio, & unita bona Ecclesiae, cui illa unita fuerunt, detrahantur, & in suam pristinam causam ac conditionem revertantur, hoc est Ecclesiae seu collegio, cui detracta fuerunt, restituantur, c. Suggestum de decimis, Pe-
Conf. Wamel. Tom. I.

trus de Perusio in tract. de revoc. unionib. in prin.

Proinde cum omnis dispositio tam in contractibus, quam alijs hominum actionibus, ita semper accipiat, ut stet, periret & effectum fortitatur, quando res de quibus agitur, in eodem statu permanent, semperque habeat tacite implicitam illam clausulam, rebus ita stantibus, seu se habentibus, ut prius, l. Continuis §. cum quis de verb. oblig. l. Quod servus de condit. causa dat. l. Paulo Callimacho §. fin. de leg. 3. d. c. Suggestum, c. Brevis de iurejur. Bald. in l. Certum C. de fideicommissis ita ut rebus mutatis à prius statutis recedere liceat, c. Quanto de censib. Phil. Decius consil. 335. Viso consilio nu. 2. quae prius ab initio rationabilis videri poterat ordinatio de contribuentibus duobus fertellis filiginis, propter prohibitam mendicantem, & illius prohibitionis tunc recentem & vigentem observantiam, irrationabilis effecta merito dici debet, rursus ad usum & libertatem revocata seu permissa mendicantem; ideoque à dicta domo Teutonica exigi amplius non debeat, quod propter prohibitam mendicantem ei quoquo modo impositum fuit.

Nec in contrarium urget, quod haec contributio ab initio dicatur fuisse voluntaria, ex consensu eorum, qui huic Religiosae domui tunc praesuerunt, quodque ea in quinquagesimum circiter annum nunc excurrat, & sic videatur iam transisse in perpetuam obligationem: nam ex literis, quas Illustrissimus Generalis Magister in initio huius huius ad amplissimum Concilium scripsit, constat tempore praestiti huius consensus, Commendatorem domus illius nullum fuisse neque alium consensum praestitum fuisse, quam à quondam D. Wilhelmo Vos loci tenente dumtaxat in dicta domo, qui suo tali consensu non potuit dictae domui, & futuris ejus Commendatoribus tam graviter praedjudicare: * cum potestas alienationis in generali mandato etiam totorum bonorum nunquam contineatur, l. Procurator totius de procurat. c. fin. de off. vicary lib. 6 ne quidem ex transactionis causa ita ut, si procurator contra fecerit, & dominus ratum non habeat, impediri non debeat, quo minus alienatum recuperet, l. Mandato generali de procurat. l. Procuratorem c. eod. Vnde est, quod vacante Praelatura, de statu illius nihil innovari, & quicquid sit ad diminutionem Praelaturae ac bonorum illius, retractari, & in pristinum locum restitui debeat, seu potius pro nullo haberi, c. 1. & 2. Ne sede vacante &c. Quae etiam causa fuit, quod ex brevi tempore post praestitum illum consensum, & paucis aliquot annis, in ferventibus initijs novae istius ordinationis, praestita hac duorum fertellorum filiginis contributione, pro parte non tantum surrogati Commendatoris dictae domus, sed etiam Illustrissimi Magistri totius Ordinis Teutonici, fuerit judicialiter contradicendum, & denegata continuatio huius contributionis. Super qua contradictione Amplissimum Concilium in dicto anno tricesimo nono jus dicendo non condemnavit D. Commendatorem definitivè ad perpetuam hanc contributionem, sed tantum provisionaliter & temporaliter ad continuationem jam tunc ceptae contributionis, donec plenius cognito de causa definitivè judicaretur.

Ita ut haec continuatio pro prescriptione accipi nequeat, sed dumtaxat sit velut pro precario; quod

obligationis perpetuitatem non habet, *l. Interdictum Deprecatio*. sed ex sua natura quodcumque resoluibile est, si non ex libera voluntate præstantis, ut est in iure & absoluto precario concedentis, *l. Haber D. ead. tit. saltè ex iurisdictione & potestate Iudicis post provisionalem condemnationem de causa principali plenius cognoscentis, & definitivè inter partes judicantis: id enim cum facit Iudex, resolvitur provisionaliter decretum, ut plerumque provisionaliter ex necessitate Iudicis solutum restituitur, *l. cum ex causa de appellat.* * Provisionalis namque sententia veritati præjudicium non facit, nec ei, adversus quem illa fertur, eripit potestatem propius de iure suo experiundi, & docendi, *l. si quis a liberis §. meminisse & §. solent l. si neget. De lib. agnoscendo* Sic quod in proposito neque dictus ultroque vicarij consensus, neque illius pro tempore facta contributio, neque sequuta Amplissimi Concilij provisionalis sententia, neque tanti temporis continuatio & lapsus, aliquid momenti habeant vel ad exclusionem D. Commendatoris ab ulteriore petitione resolutionis seu relaxationis dictæ provisionis, vel ad stabilendum jus Magistrorum pro perpetuitate contributionis, ex aliqua præscriptione, cujus nullus potuit esse utilis decursus, durante & stante hac lite, quæ jam per annos fere quinquaginta saltem interpolatè stetit, & nunquam tam diu quievit sine interruptione, ut inde statui possit aliqua legitimæ, seu validæ præscriptionis consideratio. * Ut enim ex superveniente lite, etiam per solam citationem, multo magis per litem contestationem interruptitur coëptus, & longius etiam productus præscriptionis cursus, *l. cum notissimi C. De præscript. 30. vel 40. an. & ibi poët.* ita & multo magis inchoata his impedit initium præscriptionis: quæ enim causa factum tollit, multo magis ne fiat ab initio impedit, *l. Inter stipulantem §. sacrum De verb. oblig.* Et quamvis hæc lis interdum per intervallum etiam plurium annorum sine continua actione, & prosecutione quieverit; nihil tamen id facit ad alterutrius partis jus perimendum: cum quiescentia huiusmodi ad extremum nihil aliud operari possit, quam instantiæ, non actionis aut juris peremptionem, *l. Properandum c. De iudic.* * Quæ tamè instantiæ ex lapsu temporis peremptio locum non habet in causis, quæ in Auditorio seu consistorio Principis ventilantur; in quo ut nulla est instantia, ita nec instantiæ ex cursu temporis peremptio, *Auth. Sed & l. c. De tēpor. appell. Bal. conf. 217. Ego puto nu. 5. vol. 3. Franc. Marc. decis. Delphin. parte 1. quæst. 20.* Cum alioqui instantiæ peremptio solum Actorem, non Reum respiciat, *d. l. Properandum.* & illius damno sit; cum Reorum sit fugere, Actorum verò instare. Rei autem partes in hac causa sustinere D. Commendatorem, in quo petitur huius contributionis perpetua præstatio, res ipsa satis demonstrat. Circa quod nunc scrupulosius laborandum non est, ex quo per decretum Amplissimi Concilij sexta mensis Octob. an. 1578. utraque pars in integrum restituta est adversus interruptionem litis seu peremptionem instantiæ; ut dubitandum non sit, quin ut Actoribus ad prosecutionem perpetuitatis huius contributionis, ita quoque & multo magis D. Reo ad contradicendum & contendendum ad relaxationem dicti provisio-*

nalis decreti, liberrima sit potestas, & in pari potestate dicti Rei conditio potior, ex causis in dicto priore, nostro responso deductis.

Neque in considerationem contra præmissa 11 ullo modo venire debet, quod ex Innocentio, in c. Ad Apostolicam De simonia, & Paulo de Leazaris, in c. In literis De restit. spoliat. Ioannes Paponus Argens lib. 1. tit. 12. de decimis c. 1. iure singulari receptum sit in præstationibus annuis, quæ factæ sunt in piam causam, ut ultro aliquoties factæ inducant obligationem in futurum, & quidem talem, ut præstans cogi possit ad continuationem solitarum præstationum, licet aliàs in alijs præstationibus in causas non privilegiatas præstatio aliquot annis facta non obliget in futurum, *l. Si etiam annis C. De pact. quia*, ut hoc admittatur & verum esse possit in merè voluntarijs & ultroque huiusmodi præstationibus, propter presumptionem liberalitatis, idem tamen dici non potest nec debet in præstationibus etiam longissimo tempore factis, non liberaliter, voluntariè, & spontè, sed ex necessitate Iudicis, ut evenire diximus in proposito casu, in quo præstationes horum fertellorum annuorum sunt factæ non sponte & voluntariè, sed ex necessitate Iudicis, propter dictum decretum provisionale, quod utin invitum latum est, *l. Inter stipulantem §. 1. De verb. oblig.* ita etiam ab invito, quamdum fiat, ei pareri debuit ex necessitate. Iam verò in necessitate nemo liberalis esse censetur, *l. Rem legatam in fine De adun. legat.* hoc est nemo censetur liberaliter & voluntariè facere, quod necessitate cogente facit: ut est omnis solutio, quam quis facit ex necessitate Iudicis, hoc est Iudice, seu ejus decreto jubente & cogente, *d. l. Cum ex causa De appellat.* Quæ etiam ratio est, quod huiusmodi solutio velut conditionalis sit, & resolvable in casum, quo vel in iudicio appellationis, vel principalis causæ cognitione, qui provisionaliter solvere coactus fuit, in causâ superat & vincit; quia tunc relaxatur & resolvitur decreti antecedentis potestas; & sic factis solutionibus omnis juris effectus detrahitur. Cujus quidem resolutionis, relaxationis, & absolutionis D. Commendatoris in proposito proclivior est potestas, imò necessitas, ex eo, quod hoc gravamè dictæ domui impositum, non secundum, sed contra tenorem dictæ novæ ordinationis, quæ disertis verbis ab hac contributione & collationis necessitate in conformitatem juris communis, *d. §. promissa vero*, excipit eleemosynaria bona Ecclesiasticis personis destinata; ut proculdubio sunt illa, quæ ad militarem Ordinem Teutonicorum delata sunt. Etsi enim non tam ex destinatione vel illorum, qui bona huic Ordini reliquerunt, vel Religiosorum ipsius Ordinis, qui suâ parsimonia, aut alia felice fortunâ illa comparaverunt, quam ex voluntate militarium Fratrum & instituto regulæque Ordinis, pauperibus eleemosynæ erogari soleant, & aliquo respectu erogari debeant (in quo huius Ordinis conditio ab alijs Ecclesiasticis collegijs vel personis, quæ ex iuris dispositione ad eleemosynarum erogationem sic tenentur, ut pauperes adversus eos ad illas fundatam etiam intentionem habeant, *Aymo Cravetta conf. 116. Homines & parochiani vol. 1.*) ad alimentum tamen ipsorum Fratrum, & alia

alia onera Ordinis præsertim militaria exhibenda & sustinenda principaliter destinata sunt: sic ut eleemosynarum erogatio secundaria, & velut accidentaria sit, ex eo, quod deductis ordinariis oneribus superest. * Vnde huiusmodi militaria Hospitalia etiam si appellatione Hospitalium veniant in favorabilibus; in his tamen, in quibus agitur de militarium præiudicio, non fortiuntur communem conditionem aliorum Hospitaliorum, *Paul. parif. conf. 36. Quod præsumitur unio n. 7. vol. 4.* Ut proinde non rectè hi Magistri pauperum ad contributionem pertraxerint domum istam Teutonicam, & illius bona; & longè peius Magistratus ipse ad illa manus extendendo, contra tenorem dictæ ordinationis, ipsam Magistris auctoritatem suam eâ in re accommodaverit, contra omnia tam civilia, quàm Canonica iura; quæ laicis nullam potestatem nullamq; auctoritatem permittunt in personas, vel res Ecclesiasticas, *Qui in Ecclesiis c. Ecclesia S. Mariae De consuet. sed cassa & irrita decernunt, quæcumque in illorum præiudicium per laicos vel constituantur vel sunt, Auth. Cassa c. De sacros. Eccles.*

13 Et sanè plurimum à verò aberrat dictus Magistratus in eo, quod sibi persuadet per dictam novam ordinationem esse permittum sic posse augere, & intendere statuta dictæ ordinationis pro contributione eleemosynarum, ut etiam manus extendere possint ad bona Collegijs & Monasterijs destinata; cum verba ordinationis id non contineant, nec ejus rei potestas ulli etiam Principi sæculari umquam permessa inveniatur, ut de bonis Ecclesiasticis statutum aut ordinationem aliquam facere possit: horrendæ enim cupiditati adscribitur, tale aliquid à Regibus vel Principibus petere, *c. 2. de reb. Eccles. non alien.* Cum etiam Imperator ipse sibi hanc legem dixerit, ut nihil ex rebus Ecclesiæ sibi vendicare possit, nisi per viam permutationis; idq; dumtaxat pro re maiore, meliore vel æquali, *Auth. Sed & permutare c. de sacros. Eccles.* Rectius & facilius sine alicujus injuriâ aut incommodo potuisset veris & proprijs Hospitalibus, siue illa sint Xenodochia, siue Nosocomia, siue Gerontocomia, siue Brephorophia, siue alia quæcumque Ptochotrophia, *l. Sancimus 2. c. De sacros. Eccles.* aliqua portio detrahi, & dictis Magistris adjici ad alimentationem eorum, quos paupertas ad mendicitatis necessitatem redegerat; quippe per hanc alterationem detracta bona stationem suam omnino non mutant, nec ad alium omnino usum quàm quod destinata erant, transferuntur (quod jus non patitur, *l. Legatarum De administra. rer. ad civit. pertm. Guido Papa decis. 552.*) sed modus dumtaxat distributionis aliquo modo in eadem statione subventionis pauperum mutatur; cum in habentibus idem symbolum facilis sit transitus de uno ad alterum, *Aristot. lib. 1. de generat. & corrupt. l. Si unus s. pactus vers. quod in specie de pact. l. An inutilis De acceptilatis. Petr. Anchor. conf. 422. Viso puncto n. 4.* Sed citra evidentem injuriam hujus domus collegiatæ, seu conventualis Ordinis militaris ad commodum quorumcumque etiam pauperum non potest fieri hæc detractio ad perpetuam & per singulos annos redeuntem erogationem sine discrimine inter pacata & turbida tempora, inter caritatem & utilitatem annonæ frumentariæ, quæ ex casu sic incidere seu occurrere

Conf. Wamel. Tom. 1.

possent, & nunc proximè præteritis aliquot annis incidisse & occurrisse rei evidentia compertum est, ut nec dimidium, imò nec quarta sic detracta hujus summæ ex frumentarijs redditibus ad dictam domum perveniat: ut non tantum non sit quod inde alijs præstari possit, sed in eam quoq; necessitatem domus venire possit, ut ad quotidianum panem pro alimentis ejusdem domus frumentum aliunde etiam comparari debeat. In quam necessitatem non ita pridem D. Commendatorem conjectum esse palam & notorium est. * Et quamvis per istam contributionem dicta domus exonerata videri possit à majore onere, quod fortè sustineret erogando ostiarias & septimanas eleemosynas: id tamen eâ nolente aut invitâ imperari non potest cujusvis sæcularis auctoritate; potissimum quod hæc res (ut prius deduximus) regulis & statutis Ordinis directè adversetur & repugnet; ideoq; effectum aliquem habere nequeat: cum neq; statutum, neque quæcumque ordinatio seu constitutio, neq; consuetudo possit mutare ea, quæ sunt regulæ cujusque Ordinis, *DD. in Auth. Ingressi & ibi Iason n. 9. & Decius n. 11. c. De sacros. Eccles. Craver. d. conf. 116. n. 7.* Ex regula autem hujus militaris Ordinis hoc unum inter præcipua est hospitalitas, & in hospitalitate eleemosynarum, per proprias, non alienas, & minimè laicas, manus erogatio: sic ut dicta nova ordinatio nullâ ratione possit pertrahi ad bona hujus domus, Commendatore ac superiore illius reclamantibus. Ut plurimum laudandus & approbandus sit D. Commendatoris hic pius conatus, quo secundum sui Ordinis regulam & professionem ad hoc laborat, ut ipse eleemosynarum erogationem retinere & exercere, dictæque domus bona conservare, & in suo tramite retinere, sequeq; pauperum pium creditorem ex hac largitione constituere possit; dictis Magistris præceptâ facultate, ne de alieno ipsi, more non satis probato, eleemosynas faciant: species enim improbatæ lucris est, ex alieno largiri & beneficii debitorem sibi acquirere, *l. Si pignore §. 1. d. De furtis.* Quibus rationibus, alijsque fusiis latiusque per Advocatum causæ deductis, attentis, in eo persistimus in hac causa, provisionalis decreti necessitatem relaxandam & resolvendam esse; dictumq; D. Commendatorem ab impetitione Actorum per definitivam sententiam Amplissimi Concilij absolvi, & Actores seu Impetrantes in expensas litis condemnari debere.

De reb. Ecclesiæ alienan. vel non.

S V M M A R I V M.

Vnio, incorporatio, & suppressio beneficii Ecclesiastici.

1. Beneficiorum mutatio absq; causa faciendâ non est. Relictum vel destinatum in certum usum ex causa ad alium usum converti potest.
2. Monasteriorum & beneficiorum unionum causa quæ.
3. Monachi disoluta vita ejiciendi.
4. Unioni accedere debet assensus eius cuius interest.
5. Unire & dismembrare potest Episcopus.
6. Papa in unionibus & dismembrationibus summum ius habet.
7. Unionis diversa species.
8. Unionis forma & effectus.

Ccc 4

9. Uniones